



Nf. 61.



1501  
1502  
1503  
1504  
1505  
1506  
1507  
1508  
1509  
1510  
1511  
1512  
1513  
1514  
1515  
1516  
1517  
1518  
1519  
1520  
1521  
1522  
1523  
1524  
1525  
1526  
1527  
1528  
1529  
1530  
1531  
1532  
1533  
1534  
1535  
1536  
1537  
1538  
1539  
1540  
1541  
1542  
1543  
1544  
1545  
1546  
1547  
1548  
1549  
1550  
1551  
1552  
1553  
1554  
1555  
1556  
1557  
1558  
1559  
1560  
1561  
1562  
1563  
1564  
1565  
1566  
1567  
1568  
1569  
1570  
1571  
1572  
1573  
1574  
1575  
1576  
1577  
1578  
1579  
1580  
1581  
1582  
1583  
1584  
1585  
1586  
1587  
1588  
1589  
1590  
1591  
1592  
1593  
1594  
1595  
1596  
1597  
1598  
1599  
1500

4

D E C A N U S  
ET  
COLLEGIUM  
FACULTATIS THEOLOGICÆ  
IN  
UNIVERSITATE TUBINGENSI  
AD  
ORATIONEM SOLENNEM  
PRIDIÆ  
NATALIS DOMINI  
DIE XXIV. DEC. MDCCXCVI.  
HORA ANTEMERIDIANA IN AUDITORIO JURIDICO  
HABENDAM  
INVITANT.

d.

*De Cæsare, Pii VI. bullam damnantem dogmaticam haud  
admittente.*

---

T U B I N G A E  
LITTERIS FUESIANIS.

3

DE C A N U S  
ET  
COLLEGIUM  
LACUNATIS THEOLOGICIS  
IN  
UNIVERSITATE TURINGESE  
AD  
ORGANUM SOLENNEM  
PER  
NATATIS DOMINI  
M D C X X V I  
AUGUSTI VENIENTIA  
HABENDA  
INITIA

De Causis et de rebus quibusdam hodiernis  
institutis

ALBERTUS  
LITTERIS TURCICIS

**Q**ui, opportunitate nobis subnata, nuper exposuimus,  
quam imprudenter a nonnullis urgeatur, nostro ma-  
xime seculo, disciplinæ in ecclesia Christi severitas, illius rei  
jam illustre exemplum afferre constituimus, quod infaustis  
auspiciis datum fuisse palam constat.

Est illud exemplum Pii VI. cuius ira cum in Riccium  
Episcopum Pistoriensem maximopere effebuisse, eam omnem  
in illum virum bulla damnante effudit, quæ ita inscribitur:  
*Sanctissimi Domini nostri Domini Pii divina providentia Papæ  
Sexti damnatio quam plurim propositionum exceptarum ex li-  
bro Italico idiomate impresso, sub titulo: Atti e decreti del  
Concilio Dioceſano di Pistoja dell' anno MDCCCLXXXVI.  
In Pistoja per Atto Bracali Stampatore Vescovile. Con appro-  
vatione ejusdem libri & aliorum quorumcunque in ejus defensio-  
nem tam forsan editorum, quam in posterum edendorum. Ro-  
mæ MDCCCLXIV. ex typographia Rev. Cameræ apostolicæ.  
In forma bullæ itaque apparet Damnatio, data die 28. Aug.  
1794. registrata in secretaria Brevium, & publicata ad valvas  
Basilicæ Lateranensis & Principis Apostolorum, Cancellariæ  
Apostolicæ, Curiæ generalis in monte Citorio, in Acie Cam-  
pi Floræ ac in aliis locis solitis. Ne vero folis Romanis hanc  
legem ferre videretur, præfatus est Pius Episcopus servus ser-  
vorum Dei universis Christi fidelibus, ex qua formula omni-*

A

bus imposita videbatur obligatio, damnandi & damnatum reputandi Auctorem illorum Scriptorum. Præfatur verbis amplissimis de ærumnis, sibi subeundis, quod fuerit non in ultimis terris, verum in media luce Italæ, sub oculis *urbis* & prope *Apostolorum limina*, *Episcopus*, *duplicis Sedis honore insignis*, *Scipio de Ricciis*, *antea* (jam destitutus) *Episcopus Pistoriensis & Pratensis*. Eum refert sibi suæque apostolicæ, quam vocant, Sedi in ipso sacræ suæ ordinationis ritu debitam fidem & obedientiam solenni jurisjurandi religione obstrinxisse; postquam autem a complexu suo cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessisset, perversæ fauentiæ fraudibus circumventum eo cœpisse intendere, ut quam superiores Antistites formam jam pridem iniverant, ille per speciem fictæ reformationis importunis novitatibus perturbarer, convelleret, funditus everteret, quin etiam cum suo hortatu ad Synodum Dioecesanam animum adjunxit, ejus in suo sensu pertinacia effectum esse, ut unde remedium vulnerum petendum erat, inde gravior pernicies enasceretur; postquam itaque Synodus illa, e latebris eruperit, neminem fuisse, qui non continuo adverterit auctorum consilium, ut quæ antea semina sparserunt, ea in unum corpus compingerent, proscriptos errores exsuscitarent, apostolicis decretis, quibus proscripti sunt, decretis fidem auctoritatemque derogarent; eapropter ea se cepisse consilia, quæ surgenti malo vel sanando vel comprimendo accommodatoria viderentur, Synodum ab Episcopo editam primum 4. episcopis aliisque adjunctis *Cleri*

320 \* 60

Secularis Theologis examinandam commisisse, tum & S. R. E.  
Cardinalium aliorumque Episcoporum Congregationem depu-  
tasse, eorumque suffragia voce & scripto edita exceperisse; se-  
lecta deinceps pravarum doctrinarum capita in certum ordi-  
nem redacta fuisse, ut cuique peculiaris censura subjiceretur;  
observasse Censores fallacem, involutam, differendi rationem,  
quæ dilucida esse deberet, ne ullum offendendi periculum re-  
linqueret; ne quod vero genus officii ad lucrandum fratrem  
prætermissum videretur, episcopum se amantissimis literis jus-  
su suo acciendum duxisse, pollicitum fore, ut benevolo ani-  
mo exciperetur, nec vetaretur, quin quæ in rem suam face-  
re sibi viderentur, libere aperteque expromeret; nunc vero  
cum ille oblatio beneficio incommodo valetudinis nomine mi-  
nus utendum sibi esse censuerit, differre amplius se non pos-  
se; implorato itaque cum assiduis suis, tum & piorum Chri-  
sti fidelium privatis publicisque precibus, Spiritus Sancti lu-  
mine omnibus plene & mature consideratis, complures ex  
actis & decretis Synodi propositiones, doctrinas, sententias si-  
ve expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, suis  
cuique appositis notis & censuris damnandas & reprobandas  
censiisse, prout hac sua perpetuo valitura constitutione dam-  
net & reprobet.

Itane vero hæc disciplinæ severitas tam necessaria fuit,  
ut damnatio publica viri illustris requiretur? Itane ille dog-  
mata hæretica docet? Omnino, si propositiones, quas affert  
Pius VI. hæreticas reputet. Est enim

A 2

I. damnatarum sententiarnm *prima classis* ea, quæ nota hæreticarum insigniuntur. A. Prima vero hujus classis hæretica ea dicitur, quæ p. 14. l. cit. Sess. III. de *obscuratione veritatum in ecclesia* inscribitur. Quæ Auctor Synodi Italice effert, ea in Papæ Damn. Latine ita exprimuntur. *Postremis hisce sacerulis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem & quæ sunt basis fidei & moralis doctrinae Jesu Christi.* Si quis itaque doceat, maximi momenti veritates esse obscuratas, illumne hæreticum prædices? Obscuratio veritatum in ecclesia est quæstio facti, quam sive affirmes sive neges, neutiquam macula hæreseos tibi potest adspargi, cum ipse Paulus non neget, obscurationem in suis quas ipse plantavit ecclesiis observari. Eph. V. 8. Late patet illa obscuratio. Et ubi est ecclesia, quæ non abundet hominibus, & in basi religionis & morali doctrina Jesu Christi rudibus, caliginosa nocte oppressis? Itane & Paulum & optimum quemque Theologum, qui id inter homines sibi observari dolet, inter hæreticos numeres? Næ, id severiorem disciplinam prodiderit!

B. Hæreticam appellat eam propositionem, quæ, epistolæ Convocatoriae inserta p. 6. & 7. docet statuitque, *potestatem a Deo datam ecclesiæ, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri, pro salute animarum, si quidem ita intelligatur, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas.* Riccius mentem suam Italice ita effert: *in vigore della potestà data da Dio alla*

chiefa per esercitarsi per mezzo de suoi ministri, quibus verbis istae fere sententiæ insunt. 1. Deus dedit ecclesiæ potestatem prædicandi verbum divinum. 2. Exercet illud jus per pastores. 3. Potestas itaque ministerii proficiscitur a Deo. Eph. IV. 11. Rom. XII. 5. 1 Cor. XII. 28, 29. Ministros nos quidem habemus, non immediate a Deo constitutos, non miracula parandi potestate munitos, sed quicquid juris & potestatis habent, sive sint, Episcopi sive pastores, id habent ab ecclesia. cf. Michaelis Anmerk. zu I. Tim. V. 18, 10—21. Vult vero Pius VI. derivari eam potestatem a Petro h. e. a Papa. Itaque doctrinam Pauli ipse pessundat. Quis itaque magis hæreticus? Papane an Riccius.

C. Hæretica Pio VI. est ea nomenclatura, qua in Decr. de Fide §. VIII. Sess. III. p. 78. utitur Riccius, quod Rom. Pontifex sit *caput Ministeriale*. Primus qui ea denominatione usus fuit, Richerius fuit, cuius formulam receperunt plures Jansenistarum Theologi. Eam vero ferre nequit Pius VI. qui tamen se in Bullis servum servorum appellat. Quid igitur mali Riccius docet, Pont. Rom. tribuens *diacroviam*, Ministerium *deletiam*, quam & Paulus sibi tribuit Phil. I. & Eph. III. 7., & Capitis prærogativam. Altius evolare vult Pius, ut scilicet Rom. Pont. a Christo in persona B. Petri eam potestatem accipiat, qua velut Petri successor ac totius ecclesiæ Caput pollet in universa ecclesia.

Quod in sacris literis non extat, nec ipse Petrus sibi arrogavit, nec Christus docuit. Nonne igitur magis hæretica

est Pii VI. assertio, quam Ricci de Capite Ministeriali, qua arrogantiam Romanorum degmaticam voluit temperare?

D. Hæretica quarto Papæ videtur sententia Ricci de potestate ecclesiæ quoad constituendam & sanciendam exteriorem disciplinam. Docuerat nempe in Synodo fest. III. Decr. de fide §. 13. & 14. abusum fore auctoritatis ecclesiæ, transfereudo illam ultra limites doctrinæ ac morum, & eam extendendo ad res exteriores, & per vim exigendo id quod pendet a persuasione & corde, tum etiam multo minus, ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis. Equis ausit hæreticum appellare eum, qui negat auctoritatem ecclesiæ ultra limites doctrinæ ac morum transferendas esse? Alios doceat in fide, alios bonis moribus imbuat. Haec summa est eorum, quibus potestas ecclesiæ restringitur. Fidei vero & morum emendatio non ad res exteriores extendatur.

Bilim Pio VI. movet vis formulæ extendendola a cose esteriori. Ominino illis verbis denotat abusum auctoritatis ecclesiæ, idem quod Petrus I. ep. IV. 15. αλλοτριεπισκοπεῖν exprimit. Abusus vero auctoritatis fit 1. per vim exigendo id, quod pendet a persuasione & corde, 2. exigendo per vim exteriorem subjectionem suis decretis. Nihil clarius poterat effiri, quam sententiæ, quas Riccius in Synodo affert. a) Si

a) Verba ipsa afferam, quod ad sarebbe minore l'abuso di questa autorità jūdicio, ea de re ferent, forza, trasportandola oltre i confini quam maxime pertineant. Non fini della dottrina e della Morale.

619 \* 620

miles sententias hæreticas vocare & damnare, quid est aliud,  
quam severissimam disciplinam ostentare, quæ rogis & carce-  
ribus sœvit? quam despotismum jactare, qui regibus etiam  
imperare audet, quem ipse etiam Pius alere iteratis vicibus  
vixus est.

E. Hæreticam quinto eam thesin nuncupat & damnat  
*de coagmentatione corporis ecclesie*, qua ecclesiam proponit  
Riccius, considerandam velut unum *corpus mysticum coagmen-*  
*tatum ex Christo capite & fidelibus*, qui sunt ejus membra per  
unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus *cum ipso* unus  
*solutus sacerdos, una sola viçima, unus solus adorator perfectus*  
*Dei patris in Spiritu & veritate.* Ipsa verba auctoris in App.  
N. XXVIII. p. 75. docent, alludi ad locum Eph. IV. 3—12. &  
convenire doctrinam Riccii cum doctrina Pauli, hinc nec hæ-

Il divin Redentore venendo, a for- fizioni nei secoli posteriori, persu-  
mare la chiesa, non volle fondare so che non appartiene alla chiesa  
un regno o una Monarchia tem- entrare nei temporali diritti della  
porale, e ristrinse tutte le facoltà sovrana, stabilita immediatamente  
che diede ad essa allo spirito. Se da Dio: molto meno le apparte-  
i pastori eccedono questi limiti, ne effigere colla forza e colla sog-  
non hanno più alcun diritto alla gezione esteriore soggezione a suoi  
promessa assistenza, e le loro de- Decreti: questi mezzi abuvi oltre  
terminazioni non farebbero che al non essere di sua competenza,  
usurpazioni irregolari, nate a se- perché non conceduti ad essa da  
minare lo scandalo e la divisione cristo, sono altresì irragionevoli  
nella società. Il S. Sinodo rico e sproporzionati. La mente non  
noscendo la vera auctorità della si persuade colla forza, ed il cuo-  
chiefa, rigetta solennemente tut- re non si riforma colte prigioni e  
to ciò, che vi aggiunsero le pa- col fuoco. p. 80. sq.

reticam esse posse nec damnari. Quam misera est ecclesiæ conditio, ubi Paulus ipse damnatur, cuius rei exempla habuimus in Clemente XI. & in ipso Pio VI! Neque enim voluit docere Scipio, quod ad ecclesiā non pertineant nisi fideles, qui sint perfecti adoratores in Spiritu & veritate, sed urgat potius communionem cum Christo & Deo i. Jo. I. v. 6,7. adorando in Spiritu & veritate non in formulis inanibus, quæ facile in opus operatum, in mechanismum religiosum abeunt.

II. Altera classis damnatarum thesim eas complectitur, quæ in *systema alias damnatum ut hæreticum inducunt*. Ita quidem thesis, ecclesiā non habere auctoritatem *subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media*, quæ pendent a *persuasione*, non est quidem hæretica, (& quis tam stolidē sentiat?) at in *systema inducit*, quod jam alias ut hæreticum fuit damnatum. Exemplum est Breve Benedicti XIV. *ad affiduas anni 1755*. Primi, Archiepiscopis & Episcopis regni Poloniæ, quo illud *Systema ut alias damnatum declaratum fuit*, quo negatur, ecclesiā habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia & suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi. Eam causam plane non tangit Riccius, at tamen aperte docet, carceribus & rogo non esse reformatum cor, quod est *Systema Lutheri & Zwinglii*, ideoque a Papa censetur hæreti-  
cum,

cum, quod jam alio tempore fuerat damnatum. Cum sit itaque illa assertio Ricci assertioni Lutheri propinqua, & facile in sistema hæreticum inducat, hæreticum & illud arguitur. Quisquis igitur negat, ecclesiæ competere jus, coercendi devios legibus, judicio & salubribus pœnis, ille parum alienus est ab hæresi. Quod quam absurdum sit, alio jam tempore ostendimus; est enim severioris disciplinæ abortus, in humanitatis jura plane injurius.

III. Tertia classis damnatarum thesum eas complebitur, quæ vel sunt schismaticæ, ad minus erroneæ, vel in schisma inducunt. Inter eas prima concernit jura episcopis præter fas attributa. Synodus enim in Decreto de ordine §. 25. p. 180. profitetur persuasum sibi esse, episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ dioecesis. Itane hoc absurde dictum putes? At idem docet Paulus i Tim. V. 17. coll. v. 21. 2 Tim. IV. 1—5 & per Deum & Jesum Christum testatur, id officii ab Episcopis posci. Itane præter id, quod Paulus Timotheum jubet, aliud quid docet Scipio? Itane Tu, Papa Pie Sexte jura somnias, episcopis præter fas attributa? At quænam sunt illa jura præter fas attributa? Tu ad superiores ordinationes provocas, spectantes sive ad fidem & mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes Summos Pontifices & Concilia generalia pro universa ecclesia? At Scipio jura assert, a J. C. accepta, jus itaque divinum, non humanum. Tu præter Christum multa poscis, episcopos deprimis, juramento' ad tuum nutum adstringis. En severitatem disciplinæ, ad quam tu omnia revocas, nul-

lis limitibus adstrictus: Ille vero intra limites diœcœeos sub-  
sistit & utitur jure suo. Itane schisma eum moliri, ita er-  
rare, fingis?

Secundo gravius etiam indignatur Pius, quod apertius  
etiam Synodus abusus disciplinæ impugnaverat. Hæc quippe  
*hortatur episcopum ad prosequendam naviter perfectionem ecclesiastice disciplinæ constitutionem, idque contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordinis dioecesis, majori gloriae Dei & majori ædificationi fidelium.* At non licet Episcopo, ita Pium VI. detonantem audiimus, proprio suo judicio & arbitratu statuere & decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa ecclesia sive etiam in una quaque provincia locum habent, sine venia & interventu superioris hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ & vim legis obtinent. Ita quidem nodus iste magis secatur, quam solvit. Ita non respondeatur ad argumentum a majori gloria Dei & a salute fidelium repetitum. Ita silentio præteritur id, quod Synodus monet, esse episcopum immediatum diœcœeos pastorem stbi commissæ, esse ipsius jura a Jesu Christo accepta, ad regendam suam ecclesiam, neminem posse illa jura mutare, alienare, impedire (sieno inalterabili ed inimpedibili) & quamvis in certo rerum statu exercitium illorum jurium possit esse interruptum aut per cessionem aut per abusum aut per aliud quocunque motivum, episcopum semper posse & debere ad jura sua originaria regredi, quotiescumque id bo-

num majus suæ ecclesiæ exigat. b) Quæ quamvis sint ve-  
rissima, & quamvis omnino maxima sit illius argumenti vis,  
quid est, cur tam parum valeat? quid est, cur Episcopum,  
cujus magnum animum erigere deberent alii opprimendum  
censeant præcones damnationis? In causa est disciplinæ seve-  
ritas, quæ decretorium fert judicium, *inducere* hoc systema  
*in schisma, & subversionem hierarchici regiminis,* & ea pro-  
pter esse erroneous. Est itaque una hierarchia, quæ *bonum*  
*majus ecclesiæ* turbat & pervertit, quæ Episcopos opprimit  
quæ proprio arbitratu sibi placet. Ita Pius VI. thesin da-  
nandam censet, quod *Synodus* sibi *persuasum esse* ait, *jura epi-*  
*scopi a J. C. accepta pro gubernanda ecclesia nec alterari nec*  
*impediri posse, & ubi contigerit horum jurium exercitium qua-*  
*vis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac de-*  
*bere in originaria sua jura regredi quotiescumque id exigit ma-*  
*jus bonum suæ ecclesiæ.* Est itaque hierarchia animal super-  
bum, quod sui contemnitum supplicio, carcere, rogo, infamia  
vindicat.

IV. Quarta classis thesium damnatarum Sacerdotes con-  
cernit ordinis inferioris. Nunquam non ille Hierarchie næ-  
vus reprehensus a multis fuit, quod dominatum aleret, alios

b) e sebbene per alcune circostanze possa essere stato interrotto suoi originari ogni qual volta lo riferizio di essi o per cessione o esiga il bene maggiore della sua per abuso o per altro qualsi voglia chiesa, per questo motivo, il Vescovo però possa

deprimeret justo arrogantius, alios extolleret justo elatius. Inducti in ecclesiam ordines intervalla inter clericos justo latius extenderunt, quasi non eidein Deo, non eidem J. C., non eidem ecclesiae Christianae ministrarent omnes qui gregem paſſunt; quasi non existeret ministerii Evangelici identitas, quaſi ab omni communione aliena eſſet massa superiorum, a massa inferiorum longis intervallis distans. Quomodo Petrus apostolus fehſerit, id palam eſſert i ep. V. 1—3. ubi alios πρεσβυτερος, ſe ipsum vero ὑπηρετούτος appellat, ab omni dominatu alienus. At Pius VI. 1. primo in Synodo vituperat Ius perperam tributum inferioris ordinis Sacerdotibus in decretis fidei & disciplinae. Doctrinam vero, quæ statuit, reformatio- nem abuſuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dio- eſcanis ab episcopo & Parochis æqualiter pendere ac ſtabili- debere: ac ſine libertate decisionis, indebitam fore ſubjeſtionem suggestionibus & iuſtificationibus epifcoporum, damnat ut falſam, temerariam, Epifcopalis auctoritatis laſivam, regiminis hierar- chici ſubverſivam, faventem hærefi Aerianæ a Calvino innovatae. Si quis itaque προθύμως gregem velit paſcere non καταν- πενει τὸν χληρον, ἀλλὰ τυπος γενεται τὴ ποιηνίς, eum te- merarium prædicaveris? Eum favere dixeris hærefi Aerianæ, a Calvino renovatae? Ita qui religionis ſimplicitati ſtudent, epifcopalem auctoritatem laedunt, quam munire cupiunt? Ita fane Riccius in epift. convoc. p. 5. egregie perorat. c)

c) p. 5. Gridano infenſatamente Vangelo per ripurgare la chieſa all'Eretico e al Novatore ogni dalle fozzure, che nella maligna volta che ſi voglia rimontare al ta de tempi ha potuto contrarre.

2. Secundo condemnatur ea doctrina, quæ in oratione ad Synodum §. VIII. p. 34. extat, *qua parochi aliive Sacerdotes in Synodo congregati pronunciantur una cum Episcopo Judices fidei, & simul inuitur judicium in causis fidei ipsis jure proprio, & quidem etiam per ordinationem accepto.* Parochos judices fidei esse, Synodice cum Episcopo conjunctos, in hoc rerum statu, vix ecclesiæ diocesanæ eam utilitatem afferet, quam sperant multi. Modo sint lux, Matth. V. 16. modo sint τύποι τῆς πολυμηνίας 1 Petr. V. 3). Ita quidem ex mente Ricci regimen ecclesiasticum habebimus, non monarchicum sed ex aristocratico & monarchico mixtum, cuius forma nævius laborabit non minoribus quam Monarchicum. Nimirum hic quidem παρεργοταξίαι Riccius. b) At æque nimium παρεργοταξίαι condemnavit Pius VI. qui statuit, esse eam propositionem falsam, temerariam, ordinis hierarchici subversivam, detrahentem firmitati definitionum, judiciorumque dogmaticorum ecclesiæ, ad minus erroneam. Dum hierarchiæ tantum conservandæ erimus studiosi, oleum & operam perdemos, ab illo Spiritu alieni; quem Paulus *εἰς τὸ συμφέρον* commendat 1 Cor. XII. 3. sq. Neque enim est hierarchia, cum qua stetque cadautque nostra salus.

---

d) Ciascuna diocesi — esamina- appartenente alla fede e alla salu- va nelle assemblee del Vescovo e te delle anime — tutto foggiate de' Preti le cause della fede — Voi al vostro giudizio. Non vi è po- fate quello che allora si faceva; testa nella chiesa, che vi possa tog- gyo seguite le traccie dè vostri liere quel che Iddio vi ha donato maggiori; voi siete subentrati ne. Giudici della fede, a voi io parlo, gli stessi diritti, e qualunque cosa,

3. Tertio ea etiam sententia a Papa notatur, qua enunciatur, (l. c.) veteri majorum instituto ab apostolicis usque temporibus ducit, per meliora ecclesiae saecula servato, receptum suis, ut decreta aut definitiones aut sententiae etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent & approbatæ a Synodo Dioecesana, ut falsa temeraria derrogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ constitutionibus apostolicis, tum & sententiis ab hierarchica superiore potestate manantibus, schisma fovens & heresim. Omnino non satis de historica veritate hujus asserti constat. At negari tamen non potest, quod si assertio quædam alicujus majoris Sedis debeat ab ecclesia acceptari, id per Synodos dioecesanas fieri debeat, quæ aliæ majori Sedi assensum suum testatae sint nec plane fructu suo insigni caruisse Synodos dioecesanas, tam in constituendo dogmate ecclesiastico seu fidei regula, tum in emendandis moribus. Neque tam falsa & temeraria, quam Pius VI. vult, asseri potest ea propositio, neque schisma & heresim fovens, sed potius omnia in praesidium Hierarchiæ dicta sunt censenda, quæ disciplinæ ingentem severitatem secum ferre videntur.

V. Quinta damnatarum thesium classis *calumniæ adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis promulgatas continet.*

Non temere monet Synodus, si de reformanda fide quæstio sit, qua ratione optimus quisque reformare fidem possit, si ipse decisiones vagæ sint, intricatae & obscuræ, quæd in quam plurimis factum suis, quin & in ipsa hac Pii VI.

constitutione factum esse, facile animadvertisimus. Id quod fidei populi proponi & instar baseos inservire debet, super qua propriam ædificare sanctificationem possit, clarum & definitum esse debet. Decisio incerta & tenebricosa idem es-  
set, ac multiplicare divisiones & dubia. Peccat, qui fidem in doctrinis exigit, quæ quales sint, ignoratur. Plura vide in decreto de fide §. XII. p. 80. Quæ qui afferit, non serit calumnias, cum ipsa experientia in Bulla *Unigenitus* abunde sit testata, quam vera sint hæc omnia, & quam ambiguæ, incertæ, intricatæ fuerint illæ decisiones Romanæ Sedis. Si quis itaque Synodi assertiones suo complexu accipiat, & decisiones percurrat in materia fidei ab aliquo inde sèculo promulgatas: non poterit non ea perhibere decreta ab una particulari ecclesia vel a paucis pastoribus profecta, quod in Gallia olim factum esse novimus, nulla sufficienti auctoritate susulta, finibus non puris promota, nata corrumpendæ fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inficta sunt vulnera nimium adhuc recentia. Quæ qui dicit, non dicit calumnias, a Pio VI. dictas *falsas*, *captiosas*, *temerarias*, *scandalosas*; nam veras eas esse demonstrarunt Tosini, Cecchetti, inter Protestantes Heidegger aliique. Non dicit ille calumnias in Rom. Pontifices & ecclesiam injurias, debite apostolicis constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticas, pernicioas, ad minus erroneas. Et, quam parum lucis afferrunt coacervationes phrasum Romanarum! Et quam inconditum est dictiorium, a severitate disciplinæ inductum!

*Secundo* aperte satis ostendit Pius VI. quantum adhuc dum finu suo ferat Molinistas. Laudaverat Riccius & Synodus Clementem IX. ingenium mite & sacerdotale, Tusciae siue patriæ decus, justum estimatorem doctrinæ puræ, propugnatæ a defensoribus gratiæ Christianæ. Laudatur etiamnum a multis *Pax*, quam dicunt, *Clementis IX.* Inde a tempore habitarum Romæ Congregationum de auxiliis gratiæ ad Pacem usque Clementis multum de gratia utrinque fuerat disputatum, & intervenerat maxime formula Alexandri VII. ad cuius subscriptionem obstrictos declaravit omnes. Cum vero quatuor Galliæ episcopi illustres, viri doctissimi, ad Clementem IX. inter *jus* & *factum* distinguerent, spondentes fidem interiorem ratione juris habita, ratione vero facti reverentissimum silentium, un silence respectueux, promitterent, ii, qui Molinisticarum erant partium, h. e. Jesuitæ, deponendos eos censuerunt & in eorum pernicie allaborabant. Defendendi vero eos onus sibi imposuere 19. ex insignibus Galliæ Praelatis, qui literis ad Regem & ad Papam scriptis graviter intercesserunt. Papa, examinata sollicite 4. episcoporum agendi ratione, acquievit & pacem bello prætulit. Rex etiam istam formulam Pacis a. 1668. confirmavit. vid. Orat. ad Synodum in Atti e Decreti p. 29. Seff. I. & Tosini T. I. p. 96. in histor. Jansenismi. At quid ad hæc Pius VI? confessurne in laudes Clementis IX? Minime gentium. Edicit potius pro cathedra: *Propositio relata inter acta Synodi, quæ innuit, Clementem IX. pacem ecclesiæ reddidisse per approbatio-*

C 99 \* C 99

17

bationem distinctionis juris & facti in subscriptione Formularii ab Alexandro VII. præscripti falsa, temeraria, Clementi IX. injuriosa. Et cur injuriosa? quia Jesuitis contraria, quos tam deperdite amat Pius VI. Et quid quæsto dignius & gloriostius Pontifici maximo esse potest, quam opera in Pace constituenda collocata? Itane sibi plaudat Pius VI?

Ex classe sexta duas tantum propositiones afferemus, ex quibus demonstrabimus, quam parum solida & quam jejuna & misera sit Theologia Pii VI. & amicorum. Riccius aliquique Theologi ecclesiæ Rom. liberaliores, offensi indulgentiarum abusu hodienum nimium frequenti notionem Indulgentiæ ita definiendam censuerunt, ut non sit nisi remissio partis illius poenitentiæ, quæ a Canonibus peccatori præscripta fuit. Ut enim ecclesia, cum canones illos poenitentiales conderet, conversionem peccatoris intendebat, eum vero opprimere plane nolebat: ita illa indulgentem & benignam se præbuit in eos, qui signa fervoris singularis edidere. Barbarorum vero illuvies, temporum ignorantia, clericorum lucri studium, enthusiasmus cruciatarum, ordinem christianum subverterunt & veteres notiones perturbarunt. Scholastici postea aucto malo, subtilitatibus suis cum sibi placerent, singularē illum thesaurum male intellectum meritorum Christi & Sanctorum invenerant, & pro clara absolutionis a canonica poena idea substituerunt falsam & confusam notionem applicationis meritorum. Si merita illa erant infinita, infinitus etiam esse debebat thesaurus. Hinc proficit scandalosa illa indulgentia-

C

rum dissipatio, quæ plebis ignorantiam magis etiam nutrit, aluitque falsam spem magni lucri his indulgentiis lucrandi. Quod vero tristius & lamentabilius est, inanis illa & chimærica applicatio meritorum ad defunctos etiam facta, eique basi innixum est studium & furor multiplicandi indulgentias pro defunctis, cum suspensæ ad altaria privilegiata apparerent ridiculæ illæ tabulæ indulgentiarum applicabilium ad animas defunctorum. Ita Syn. Sess. §. 16. V. Decr. de pœnitentia p. 152. cf. Tractatus histor. dogmat. critic. de Indulgentiis. Pistorii 1786. Append. Actor. N. X. p. 49. & Raccolta di opusculi interessanti Tom. XI.

Ingenuam hanc confessionem & saniorem doctrinam tantum abest ut laudaret Pius VI. barbariei dogmaticæ conservandæ studiosissimus, ut potius eam doctrinam imbecille reselleret, & voces injurias in Synodum & auctorem projiceret. Nam propositionem afferentem, indulgentiam secundum suam præcisam notionem, aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per Canones statuta erat peccanti; quasi indulgentia præter nudam remissionem poenæ canonice non etiam valeat ad remissionem poenæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam iustitiam (Ah quam inconcinnia theologia!) vocat falsam (ex triponde sc.) temerariam, Christi meritis injuriosam (& quid & quantum illis detrahitur, cum universus ille thesaurus sit fictus!) dudum in art. 19. Lutheri damnatam. Argumentatur itaque ab articulo 19. Lutheri damnato ad articulum Synodi damnatum, quæ inepta plane est argumentandi ratio. Nunquam

enim Bulla contra Lutherum Anno 1520. edita a Leone X., acceptata ab ecclesia est; non est de fide; non fuit in ipsa Gallia recepta. Quod si Romani ignorant aut se ignorare simulant, conferant libellum facile parabilem, *Weismanni* nostratis *Vitia distinctionis celebris in ea, quæ sunt de fide & non sunt de fide* p. 17. „Emicat, ita b. W. tanquam stella rutilans Bulla Leonis aduersus Lutherum a. 1520. edita, &, si ultra alia, haberi debet pro specimine Vicarii Christi e cathedra prodeunte. Et dantur tamen viri catholici, qui adhuc hodie descendunt, illam Leonis Bullam nunquam publicam in ecclesia catholica auctoritatem habuisse. cf. *Reponses aux avertissements de Mr. de Soissons.* Itaque cum expeditum sit Bullam Leonis X. nunquam acquivisse auctoritatem regulæ fidei; quo jure hodie ad eam provocat damnaturus Riccium ad exemplum Lutheri? Nunquam illius Bullæ mentionem injectit Concilium Tridentinum; ipsi articuli, quos Leo X. jam damnaverat, in Concilio denuo fuerunt examinati, & Concilium judicium suum tulit, nulla ratione habita damnationis Leonis. X. Itaque quomodo Pius VI. illam damnationem ex orco revocare ausit? In Gallia, uti monuimus, nullus unquam usus illius Bullæ factus est. Nunquam ea instar formulæ inserviit, neque in abjurationibus hæreticorum, neque in probationibus catholicitatis, h. e. eum catholicorum sacris addictum esse, qui publicum munus adibat. Facultas theologica Parisiensis, quæ articulos scripsit, articulis Lutheri oppositos eos Regi tradidit, qui, postquam eos per episcopos Melu-

ni congregatos probasset, in Parlamento registris inscribi juf-  
fit. Quo itaque jure Pius VI. Bullam contra Lutherum re-  
petat, quæ neque in Gallia neque in Germania legis vim  
habet, nec universæ ecclesiæ obtrudi potest? Abstineo a re-  
censendis reliquis damnatarum thesum classibus cum ex al-  
latis momentis satis pateat, jure suo egile Augustum Cæsa-  
rem, qui Bullam Pii VI. non admiserit, quod obstat viderit  
momenta gravia five formam five materiam Bullæ respexeris.  
Ratione formæ non id omne quod ad valvas Basilicarum Romæ,  
in Campo Floræ aliquaque locis consuetis affigitur & per cursores  
apostolicos pubiicatur, eam vim habet, ut Germaniæ obligatio-  
nem inducat. Neque regitur Imperium Germanicum bullis Ponti-  
ficum, multum enim distant Constitutiones Imperii a Constitutio-  
nibus Papalibus; nec bullæ damnatoriæ, quæ Romæ valent, inter  
Germanos etiam valent nisi ecclesia Germanica eas accepta-  
verit & sic publice consenserit, quod prolixæ demonstratum  
fuit a Vanespen, Silvestri aliquique Dostotibus. Jus censuræ  
a Cæsare in terris suis optimo jure exercetur, neque potest  
in exercitio illius juris ab aliis interpellari. Jus itaque dam-  
nandi libros pestiferos Cæsari in suis terris competit, dum  
expeditum & certum sit libros illos revera esse pestiferos. Si  
vero alias quis libris notam pestiferorum ausit inure, ca-  
veat Princeps, ne & suæ & subditorum libertati religiosæ  
derogetur, & severitate disciplinæ arbitraria noceatur. Lau-  
dandus itaque omnino est Cæsar, qui ob vitium formæ Bul-  
lam damnantem Pii VI. a suis terris abesse jussit, præcluso

eidem in eas aditu, magno etiam molimine per viros purpū-  
ratos tentato. Accedit vero etiam materiæ vitium, quod  
principia contineat, vix ferenda, principia magistratibus sum-  
mis funesta, principia tranquillitatem publicam turbantia,  
hæresin & schisma crepantia, ubi neque hæresis est neque  
schisma, Molinistas loventia, quos jam Maria Theresia a ca-  
thedralis publicis abesse voluit, Jansenistas & Non-Jansenistas  
inter se committentia, antiquas lites de vi Bullæ Unigeni-  
tus alentia, in terris Austriae prohibitæ, Theologiam alen-  
tia in multis rebus barbarem, in multis neque distinctam  
neque defæcatam. Depulit itaque Cæsar id mali a suis ter-  
ris, & sic palam testatur quam procul absit a religione dam-  
nante, & quæcumque curæ sibi sit pax ecclesiæ.

Quibus præmissis, supereft, ut *Universitatis nostræ Pro-  
ceres, Fautores & Cives*, ea, qua pars est obſervantia, rogemus,  
velint orationem publicam Natalitiam, ad facra natalis D. N.  
J. C. pie obeunda destinatam, sua præsentia ornare, quam  
hora antemeridiana diei 24. Decembr. in auditorio juri-  
dico habebit *Summe Reverendus atque Amplissimus Dnus*  
**LUDOVICUS JOSEPHUS UHLAND**, *Theologiæ*  
*Doctor atque Professor P. O. Ecclesiæ nostræ Decanus & Stipen-*

*iii Theologici Superintendens, Fautor & Collega noster maxime  
venerandus, qui verba faciet de Christo infante, patre æter-  
nitatis ad Jes. IX, 5. 6. P. P. sub Sigillo ordinis nostri  
feria S. Thomæ a. d. XXI. Dec. MDCCXCVI.*



FUDOVICVS IOSEPHUS UHLAZD. THEOLOGVS






Hb 663.  
8°

ULB Halle  
003 007 421

3



Nur 1+3

VDT





4

D E C A N U S  
ET  
C O L L E G I U M  
FACULTATIS THEOLOGICÆ  
I N  
U N I V E R S I T A T E T U B I N G E N S I  
A D  
O R A T I O N E M S O L E N N E M  
P R I D I E  
N A T A L I S D O M I N I  
D I E X X I V . D E C . M D C C X C V I .  
H O R A      A N T E M E R I D I A N A I N A U D I T O R I O J U R I D I C O  
H A B E N D A M  
I N V I T A N T .

---

*De Cesare, Pii VI. bullam damnantem dogmaticam haud  
admittente.*

---

T V B I N G E  
L I T T E R I S F U E S I A N I S .

3

